

SABBATO

De Martyrologio

Décimo séptimo Kalendas Júnii.

Luna decima

Dies Pentecostes, quando Spiritus sanctus Hierosolymis super discipulos igneis linguis advénit. **E**ugébii sancti Ubaldi, Episcopi et Confessoris, miráculis clari. Antisiodóri pássio sancti Peregrini, qui fuit primus ejúdem civitátis Episcopus. Hic, a beáto Xysto Papa Secúndo in Gállias, una cum aliis Cléricis, missus, ibi, Evangélicæ prædicationis múnere expléto, capitáli senténtia damnátus coronam méruit sempitérnám. **I**n Pérside sanctórum Mátyrum Audæ Episcopi, septem Presbyterórum, novem Diaconórum, et septem Víginum; qui sub Isdegérde Rege, váriis tormentórum genéribus cruciáti, gloriósum mátyrium compleverunt. **P**rægæ, in Bohémia, sancti Joánnis Nepomucéni, Metropolitáne Ecclésiæ Canónici; qui, frustra tentátus ut sigilli sacramentális fidem próderet, mátyrii palmam, in flumen Moldávam dejectus, emérut. **I**n Isauria natális sanctórum Mátyrum Aquilini et Victoriáni. **U**zali, in Africa, sanctórum Mátyrum Felícis et Gennádii. **I**n Palæstina pássio sanctórum Monachórum, a Saracénis in laura sancti Sabbæ interfectórum. **J**anóvie, apud Pinsk, in Polésia, sancti Andréæ Bobóla, Sacerdótis e Societáte Jesu, qui, a schismáticis innumerabilia tormentórum génera perpéssus, illústri mátyrio coronátus est. **A**mbiáni, in Gállia, sancti Honoráti Episcopi. **A**pod Cenómanos, in Gállia, sancti Dómnoli Episcopi. **M**irándula, in Æmilia, sancti Possidii, Calaménsis in Numidia Episcopi, qui fuit sancti Augustini discipulus, ejúsq; præcláram vitam scripsit. **I**n monastério Enachduinénsi, in Hibérnia, tránsitus sancti Brendáni, Presbyteri et Clonferténsis Abbátis. **T**recis, in Gállia, sancti Fídoli Confessoris. **A**pod Forum Júlii, in Gállia, sanctæ Máximæ Virginis, quæ, multis clara virtútibus, in pace quíevit.

V. Et álbi aliórum plurimórum sanctórum Mátyrum et Confessorum, atque sanctárum Víginum. **R.** Deo grátias.

Ex Capite Secundo Regulæ Sancti Patri Nostri Benedicti:

Qualis Debeat Abbas Esse

Meminere debet semper abbas quod est, meminere quod dicitur, et scire quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur.

Sciatque quam difficilem et arduam rem suscipit, regere animas et multorum servire moribus; et alium quidem blandimentis, alium vero increpationibus, alium suasionibus, et secundum uniuscujusque qualitatem vel intelligentiam, ita se omnibus conformet et aptet, ut non solum detrimenta gregis sibi commissi non patiatur, verum in augmentatione boni gregis gaudeat.

V. Tu autem Domine, miserere nobis.

R. Deo grátias.

DOMINICA

De Martyrologio

Sextodécimo Kalendas Júnii.

Luna Undecima

Apod Villam Regælem, in Hispania, sancti Paschális, ex Ordine Minórum, Confessoris, miræ innocentie et penitentie viri; quem Leo Papa Décimus tértius cælestem eucharisticórum Cœtum et Societátum a sanctíssima Eucharistia Patrónum declarávit. **N**oviodúni, in Gállis, sanctórum Mátyrum Herádi, Pauli et Aquilini, cum duobus aliis. **C**halcedóne sanctórum Mátyrum Solochónis et Sociórum militum, sub Maximiano Imperátore. **A**lexandriæ sanctórum Mátyrum Adriónis, Victóris et Basilæ. **E**odém die sanctæ Restitútæ, Virginis et Mátyris; quæ, in Africa, Valeriáno imperante, a Próculo Júdice várie torta, et in naviculam pice et stupa refértam, ut in mari comburerétur, impósita, tandem, cum in incensóres, immisso igne, flamma converterétur, in oratione spíritum Deo reddidit. Ipsius corpus cum eádem navicula, Dei nutu, ad Ænariam insulam, prope Neápolim, in Campánia, devéctum est, et a Christiánis magna veneratíone susceptum; ac póstmódum in ejus honórem Constantinus Magnus Basilicam in ipsa urbe Neápoli erigéndam curávit.

V. Et álbi aliórum plurimórum sanctórum Mátyrum et Confessorum, atque sanctárum Víginum. **R.** Deo grátias.

Ex Capite Secundo Regulæ Sancti Patri Nostri Benedicti:

Qualis Debeat Abbas Esse

An te omnia, ne dissimulans aut pavipendens salutem animarum sibi commissarum, plus gerat sollicitudinem de rebus transitoris et terrenis atque caducis; sed semper cogitet quia animas suscepit regendas, de quibus et rationem redditurus

est. Et ne causetur de minori forte substantia, meminerit scriptum: *Primum quaerite regnum Dei et iustitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis*; et iterum: *Nihil deest timentibus eum*. Sciatque quia qui suscipit animas regendas paret se ad rationem reddendam. Et quantum sub cura sua fratrum se habere scierit numerum, agnoscat pro certo quia in die iudicii ipsarum omnium animarum est redditurus Domino rationem, sine dubio addita et suæ animæ. Et ita timens semper futuram discussionem pastoris de creditis ovibus, cum de alienis ratiociniis cavet, redditur de suis sollicitus; et cum de monitionibus suis emendationem aliis subministrat, ipse efficitur a vitiis emendatus.

V. Tu autem Domine, miserere nobis.

R. Deo grátias.

FERIA SECUNDA

De Martyrologio

Quintodécimo Kalendas Júnii.

Luna Duodecima

Camerini sancti Venántii Mátyris, qui, annos quídecim natus, sub Décio Imperátore et Antiocho Præsidente, una cum aliis decem, gloriósi certáminis cursum, cervicibus abscissis, implévit. **R**avennæ natális sancti Joánnis Primi, Papæ et Mátyris; qui, ab Ariáno Italiæ Rege Theodorico illuc dolo evocatús, ibidem, ab eo propter orthodoxam fidem diu macerátus in cárcere, vitam finívit. Ipsius autem festum recólitur sexto Kalendas Júnii, quo die sacrum ejus corpus, Romam relátum, in Basilica sancti Petri, Apostolórum Principis, sepúltum est. **S**poléti sancti Felícis Episcopi, qui, sub Maximiano Imperátore, mátyrii palmam adeptus est. Heraclææ, in Ægypto, sancti Potamónis Episcopi, qui primum, sub Maximiano Galério, Confessor fuit; deinde, sub Constantio Imperátore et Ariáno Præsidente Philágrío, mátyrio coronátus est. Ipsum vero beátum virum sancti Ecclésiæ Patres Athanásius et Epiphánius suis láudibus celebráverunt. **I**n Ægypto sancti Dióscori Lectóris, in quem Preses multa et vária tormenta ita exércuit, ut unguis ejus effóderet et lampádibus látera inflammáret, sed, cælestis lúminis fúlgore pertérnti, ceciderunt ministri; novissime autem ipse Dióscorus, láminis ardéntibus adústus, mátyrium consummávit. **A**ncýræ, in Galátia, sancti Theódoti Mátyris, et sanctárum septem Víginum et Mátyrum, scilicet Thecúsæ,

que ipsius Theódoti erat ámita, Alexándræ, Cláudia, Phainæ, Euphrásia, Matrónæ et Julittæ. Hæ a Præsidente primum prostitútæ, sed Dei virtúte servátæ, deinde, lapídibus ad colla ligátis, in palúdém mersæ sunt; quarum reliquias colléctas cum Theódotos honorifice sepelisset, ideo, comprehénsus a Præsidente, sævissime dilaniátus est, ac demum, ense percússus, mátyrii coronam accépit. **U**psali, in Suécia, sancti Eríci, Regis et Mátyris. Romæ sancti Felícis Confessoris, ex Ordine Minórum Capuccinórum, evangélica simplicitate et caritate conspicui; quem Clemens Undécimus, Póntifex Máximus, Sanctórum fastis adscripsit.

V. Et álbi aliórum plurimórum sanctórum Mátyrum et Confessorum, atque sanctárum Víginum. **R.** Deo grátias.

Ex Regula Sancti Patri Nostri Benedicti Caput Tertium:

De Adhibendis Ad Consilium Fratribus

Quotiens aliqua præcipua agenda sunt in monasterio, convocet abbas omnem congregationem, et dicat ipse unde agitur. Et audiens consilium fratrum tractet apud se, et quod utilis judicaverit faciat. Ideo autem omnes ad consilium vocari diximus, quia sæpe juniori Dominus revelat quod melius est. Sic autem dent fratres consilium cum omni humilitatis subiectione, et non præsumant procaciter defendere quod eis visum fuerit, et magis in abbatis pendat arbitrio, ut quod salubrius esse judicaverit, ei cuncti obediant. Sed sicut discipulos convenit obedire magistro, ita et ipsum provide et juste concedet cuncta disponere.

V. Tu autem Domine, miserere nobis.

R. Deo grátias.